



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

VII. De Coena Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

non modò legis doctrina, exhortationibus, impulsu, & comminationibus, verùm etiam (quasi fustis) plagis & pœnis coercenda, in obedientiam Christi cogenda est: donec carnem peccati prorsus exuamus, & homo perfectè in beata illa resurrectione renouetur. Tum verò nec doctrina, nec comminationibus & reprehensionibus legis, denique ne Euangelij quidem prædicatione indigebit: hæc enim ad hanc mortalem duntaxat & imperfectam vitam spectant. Sed quemadmodum Dominum facie ad faciem intuebuntur: ita virtute inhabitantis Spiritus Dei, sponte, sine vlla coactione, absque omni impedimento, puri prorsus & perfectè, maximo cum gaudio voluntatem Patris cœlestis facient: & in Deo, in omnem æternitatem, latabuntur.

Quare reijcimus & damnamus, vt errorem perniciosum, qui Christianam disciplinam soluit & veritatis pietati aduersatur: cum docetur, quòd Lex (eo modo, qui suprâ explicatus est) non apud pios & credentes, sed tantùm apud infideles, impios & impenitentes vrgenda sit.

VII.

DE COENA DOMINI.



VAMVIS fortasse quibusdam videri possit, declarationem articuli de sacra Cœna, huic scripto inferendam non fuisse: in quo eos duntaxat articulos, qui inter Theologos Augustanæ Confessionis in controuersiam venerunt, declarandos suscipimus, & verò manifestum sit, Sacramentarios iam olim, (cum Confessio Augustana Anno Domini 1530. primum conscriberetur & Imperatori exhiberetur) penitus ab ea alienos fuisse, atque talem eo tempore secessionem fecisse, vt peculiarem e de re Confessio-

nem

nem offerrent. Quia tamen (quod sanè dolendum est) Theologi quidam, & alij præterea nonnulli, qui Confessionis Augustanæ religionem iactant, proximis hisce annis in hoc articulo non clam tantum & occultè, sed partim etiam apertè ad Sacramentarios defecerunt: & contra conscientia suæ testimonium Augustanam Confessionem (quasi ea cum Sacramentariorum doctrina in hoc articulo per omnia faceret) violenter in alienam sententiam pertrahere, eamq; hoc modo deprauare nituntur: facere non potuimus, quin etiam in hoc scripto veritati cœlesti pia & sincera nostra Confessione testimonium perhiberemus, & veram ac genuinam tam verborum Christi, quàm Augustanæ Confessionis sententiam, de hoc negotio, repereremus. Agnoscimus enim, nostri officij esse, vt (quantum quidem in nobis est) piam & sinceram doctrinam hanc, per gratiam Dei, etiam ad posteritatem transmittamus: & auditores nostros aliosq; pios homines fideliter admoneamus, vt à pestilenti errore illo (qui & verbo Dei & Augustanæ Confessionis repugnat, ac dudum aliquoties damnatus est) quàm diligentissimè sibi caueant.

Status controuersie, quæ est inter nos & Sacramentarios, in negotio Cœnæ Dominicæ.

ET si Sacramentarij quidam in eo elaborant, vt quàm proximè verbis ad Augustanam Confessionem accedant, & nostrarum Ecclesiarum formas loquendi vsurpent: ac fatentur, quòd in Cœna Domini corpus Christi verè à fidelibus accipiatur: attamen, quando serio vrgentur, vt sententiam suam ingenuè, apertè, & perspicuè, profiteantur, tum vno ore omnes animum suum declarant, quòd credant, verum &

substantiale Christi corpus, eiusq; sanguinem à benedicto pane & vino, in Cœna sacra, tanto locorum intervallo abesse, quanto summum cœlum ab infima terra distet. Hæc enim sunt ipsorum verba: Absesse Christi corpus & sanguinem à signis tanto intervallo dicimus: quanto abest terra ab altissimis cœlis. Quare cum de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna loquuntur, non volunt ea in terris adesse, nisi respectu fidei nostræ: hoc est, fidem nostram dicunt per visibilia symbola, perinde vt per verbum prædicatum, commonefieri & excitari: vt sese attollat, atque omnes cœlos transcendat: & hoc modo præsens, in cœlo corpus Christi, eiusq; sanguinem (imò ipsum Christum, cum omnibus beneficijs suis) verè & substantialiter, sed tamen SPIRITUALITER TANTVM sumat, eoq; fruatur. Sentiunt enim, vt panis & vinum hîc sunt in terris, & non in cœlo: ita corpus Christi iam in cœlis esse, & non in terra: quare in Cœna Domini nihil aliud ore sumi, quàm panem & vinum.

Ac in initio quidè cum hæc controuersia orta fuisset, fingebant, Cœnam Domini esse tantum externum signum professionis, quo Christiani ab alijs hominibus discernerentur: & in eo Sacramento nihil nisi panem & vinum (absentis videlicet corporis Christi nuda symbola) exhiberi. At cum intelligerent, hoc signum nihil prorsus coloris habere, neq; consistere posse, ceperunt fateri, Dominum nostrum Iesum Christum in sacra Cœna sua verè præsentè esse, per communicationem Idiomaticam: hoc est, tantummodò secundum diuinam suam naturam: sed non suo corpore & sanguine.

Postea etiam si verbis Christi grauerè vigebantur, vt præsentiam corporis Christi in sacra Cœna fateri cogerentur: id tamen aliter non intellexerunt, & declararunt, quàm quòd spirituales tantum præsentiam crederent: hoc est, quòd Christus tantum virtutis

opera

operationis, & beneficiorum suorum, per fidem nos
participes faceret. Quia (inquiunt) Spiritus Christi
qui ubique praesens est) corpora nostra (in quibus
Spiritus ille hic in terris habitat) cum corpore Chri-
sti, quod in caelis est, coniungit.

Quare splendidis & magnificis verbis illis, multis
magnis & praeclearis viris imposuerunt, quando nimi-
rum affirmarunt atq; iactitarunt: se planè nihil aliud
sentire, quàm quòd Dominus Iesus Christus verè, sub-
stantialiter, viuis in sacra sua Coena praesens sit. Hoc
tamen intelligunt ipsi tantùm de diuina Christi natu-
ra: non autem de ipsius carne & sanguine. De his enim
sentiant, ea tantùm in caelis, & praeterea nullibi esse: i-
deoq; Christum nobis cum pane & vino verum corpus
& verum sanguinè manducandum & bibendū dare, spi-
ritualiter, per fidè: sed non corporaliter ore sumendū.

Verba enim institutionis Coenae Dominicae, edite,
HOC EST CORPUS MEVM, non propriè, vt sonant,
secundùm literam, sed quasi figuratum sermonem, fi-
guratè accipiunt: ita, vt **EDERE** corpus Christi nihil
aliud ipsis significet, quàm **CREDERE** in Christum.
Et vocabulum corporis illis nil nisi Symbolum, hoc
est, signum seu figuram corporis Christi denotet: quod
tamen non in terris & in sacra Coena praesens, sed tan-
tùm in caelis sit. Verbum (**EST**) sacramentaliter, seu
modo significatiuo interpretantur: ne quis rem cum
signis ita putet copulari, vt Christi quoq; caro nunc
in terris adsit, modo quodam inuisibili & incompre-
hensibili. Hoc, nimirum, volunt, corpus Christi cum
pane sacramentaliter seu significatiuè vnitum esse: ita
vt credentes ac pij homines tam certò corpus Christi
(quod sursum in caelis sit) fide spiritualiter accipiant,
quàm certò panem ore manducant. Quòd verò cor-
pus Christi in sacra Coena in his terris substantialiter
(licet inuisibili & incomprehensibili modo) praesens

fit, & vna cum pane benedicto, ore, etiam ab hypocritis, & nomine duntaxat Christianus, sumatur, id solent quasi horrendam blasphemiam damnare & execrari.

Contra verò de Cœna Domini in Confessione Augustana, ex verbo Dei sic docetur: Verum corpus & sanguinem Christi, verè, sub specie panis & vini, in sacra Domini Cœna præsentia esse, distribui & sumi: secus autem docentes, improbari. His postremis verbis Sacramentarium error perspicuè rejicitur: qui eo ipso tempore Augustæ peculiarem Confessionem obtulerunt: quæ veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Sacramento Cœnæ, in terris administratæ idcirco negabat, quia Christus ascendisset in cœlos. Pia etiam nostra de hac re sententia in Minore D. Lutheri Catechismo perspicuè sequentibus verbis expressa est. Sacramentum altaris est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi: sub pane & vino nobis Christianis ad manducandum & bibendum à Christo ipso institutum. Luculentius etiamnum hæc ipsa sententia nostra in Apologia non modò declaratur, verum etiam illustri dicto Pauli 1. Corinth. 10. & testimonio Cyrilli confirmatur hisce verbis: Decimus articulus approbatus est: in quo confitemur, nos sentire, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint, corpus & sanguis Christi: & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino: his qui Sacramentum accipiunt. Cùm enim Paulus dicat: Panem quem frangimus, communicationem corporis CHRISTI esse, &c. sequeretur, panem non corporis, sed Spiritus Christi participationem esse, si non ipsum Christi corpus, sed duntaxat Spiritus sanctus verè præsens esset. Et comperimus, non tantùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem Christi præsentiam: sed idem & nunc sentire, & olim etiam sensisse Græcam Ecclesiam. Sed & ibidem

ex Cy-

ex Cyrillo testimonium adducitur, Christum etiam corporaliter in sacra Cœna communicatione suæ carnis in nobis habitare.

Postea cum illi, qui Augustæ peculiarem suam confessionem de hoc articulo obrulerant, nostrarum Ecclesiarum Confessionem approbare velle viderentur, Wittenbergæ Anno Domini 1536. formula quædam Concordiæ (quam nunc recitabimus) inter Saxonicos, & superioris Germaniæ quosdam Theologos, conscripta, & D. Mart. Lutheri, aliorumq; (vtriusq; partis) Theologorū subscriptione approbata est. Ea sic habet:

Audiuimus Bucerum explicantem suam & aliorum concionatorum, qui vnâ adfuerunt, sententiam de Sacramento corporis & sanguinis Christi, hoc modo:

Confitentur, iuxta verba Irenæi, Eucharistiam consistere duabus rebus, terrena & cœlesti. Proinde sentiunt & docent, cum pane & vino, verè & substantialiter adesse, exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi. Et quanquam negant fieri Transsubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem in pane, aut durabilem aliquam coniunctionem extra usum Sacramenti, tamen concedunt, sacramentali vnione panem esse corpus Christi: hoc est, porrecto pane sentiunt simul adesse & verè exhiberi corpus Christi. Nā extra usum, cum reponitur, aut asseruatur in pixide, aut ostenditur in processibus, vt fit apud Papistas, sentiunt non adesse corpus Christi.

Deinde hanc institutionem Sacramenti à Christo factam sentiunt valere in Ecclesia: nec pendere ex dignitate vel indignitate Ministri & sumentis. Quare sicut Paulus ait, etiam indignos manducare Sacramentum: ita sentiunt, corpus Christi & sanguinem verè porrigi etiam indignis: & indignos verè illa sumere: vbi seruantur verba, & institutio CHRISTI: Sed tales sumunt ad iudicium, vt Paulus ait: quia abutuntur

Sacra-

acramento, cum sine vera poenitentia & fide eo utur. Ideo enim institutum est, ut testetur, illis applicari gratiam & beneficia Christi: illos inseri Christo, & sanguine eius ablui, qui agunt poenitentiam, & erigunt se fide in Christum.

In sequenti anno praecipui Augustanae Confessionis Theologi e tota Germania Smalcaldiam conuocati sunt; ut in medium consulerent, quae doctrinae capita, in nostris Ecclesijs hactenus proposita, concilio quod Pontificij celebraturi dicebantur exhibenda & defendenda essent. Ibi D. Lutherus articulos illos, quos Smalcaldicos vocant, composuit: qui communi & vnanimi consensu ab omnibus illis Theologis, qui conuenerant, subscriptione confirmati sunt. In illis articulis D. Lutherus veram & genuinam supra commemoratae formulae VVitenbergae conscriptae, sententiam, breuibus quidem, sed significantibus & perspicuis verbis, quae proximè ad verba Christi accederent, explicuit. Sacramentarij enim iam dictae formulae verba ad malam suam causam fulciendam planè in alienam sententiam detorserant: quòd videlicet corpus Christi non alia ratione in Coena distribueretur, quam sicut idem corpus vnà cum omnibus beneficijs suis verbo Euangelij exhibetur. Et Sacramentalem vnionem nihil aliud esse, quam praesentiam Christi spiritualem, quae fit fide, interpretati fuerant. Has rimas, per quas illi effugium querebant, Smalcaldici articuli obstruxerunt. Afferunt enim, panem & vinum in sacra Coena esse verum corpus & verum sanguinem Iesu Christi: quae & exhibeantur & sumantur non modò à pijs, verum etiam ab ijs, qui praeter nomen nihil habent Christianum.

Hanc piam sententiam D. Lutherus copiosè e verbo Dei, in Maiore suo Catechismo declarat: & sic ait: Quid igitur est Sacramentum, quod ad altare distri-

buitur?

...ur? Respondetur: Est verum corpus & verus san-
 guis Christi, in, & sub pane & vino: quæ edere & bibe-
 re Christi verbo iubemur. Et post aliqua: Verbum Dei,
 inquam, illud est, quod hoc sacramentum constituit,
 & discrimen facit, vt non sit merus panis & merum vi-
 num, sed vt hæc Christi corpus & sanguis sint & dican-
 tur. Et post pauca: Hoc Christi verbo conscientiam
 tuam confirmare, & intrepido animo dicere potes:
 etiamsi decem Diabolorum myriades, vnà cum omni-
 bus fanaticis doctoribus irruentes mihi obijciant, di-
 centes: quomodo panis & vinum possunt esse corpus
 & sanguis Christi: tamen certò scio, quòd omnes fa-
 natici spiritus, & doctissimi quiq; homines, omnes si-
 mul, non tantum sapientiæ habeant, quantum diuina
 Maiestas vel in minimo digitulo habet. Hic verò in me-
 dio est Christi verbum expressum: Accipite, edite, hoc
 est corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hoc est No-
 uum Testamentum in meo sanguine. Huic verbo fir-
 miter insistimus: hic tutò manebimus: & expectabi-
 mus euentum, an I P S V M vincere, & institutionem
 eius mutare valeant. Hoc quidem verum est, quando
 verbum Dei ab hoc sacramento remoueris: aut abs-
 que verbo diuino sacramentum considerare volueris:
 quòd tum præter panem & vinum nihil habeas. At si
 verbum cum Sacramento retineatur: vt fieri o-
 mino conuenit: tum Sacramentum illud (vt ipsa ver-
 ba testantur) reuera est corpus & sanguis Iesu Christi.
 Vt enim Christus ore suo de hoc Sacramento loqui-
 tur, ita res verissimè habet: I P S E enim mentiri & fal-
 sere nescit.

Tit. 1.

His fundamentis iactis, facilè est respondere, ad quæ-
 stiones multas, quæ hoc seculo plurimum agitantur:
 videlicet, minister Ecclesiæ, qui vitæ est dissolutio-
 nis, possit Cœnam Domini rectè administrare & exhi-
 bere? & si quæ sunt alia his non dissimilia, de quibus

dispu-

disputatur. Ita enim sentimus & statuimus: si maxime homo improbus & sceleratus Sacramentum Cœnæ Dominicæ sumat, aut distribuat: tamen sumere illum verum Sacramentum, hoc est, Christi corpus & sanguinem, non minùs, quàm eum, qui dignissimè illud sumat aut distribuat. Hoc enim Sacramentum non habet fundamentum, hominum sanctitatem, sed ipsum verbum Dei. Et quemadmodum nec vllus sanctus in terris, neq; Angelus in cœlis efficere potest, vt panis & vinum sint corpus & sanguis Christi: ita nemo id Sacramentum mutare potest, vt non sit Christi corpus & sanguis; etiamsi quidam eo abutantur.

Non enim propter alicuius aut personam aut incredulitatem, verbum Dei (quo cœna Domini instituta est, & propter quod rationem Sacramenti habet) inuitum & vanum fieri potest. Quia Christus non dixit: si credideritis, aut digni fueritis, tum in cœna sacra corpus & sanguinem meum præsentia habebitis: sed potius ait: accipite, edite, & bibite: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Et præterea inquit: Hos facite: quid nam? hoc ipsum certè, quod ego nunc facio, quod instituo, quod vobis trado, & vos accipere debeo. Verba Christi hoc volunt: sius dignus, siue indignus sis, habes hic in Cœna, Christi corpus & sanguinem; idq; virtute verborum, quæ ad panem & vinum accesserunt. Hæc memori menti reponere: quia in his verbis (institutionis Cœnæ) fundamentum nostrum, defensio & arma nostra sunt, aduersus omnes errores & fallacias, quæ aut allatæ sunt hæctenus, aut vnaquam adferri in hoc negotio poterunt.

Hæc Catechismi Maioris recitata verba veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna Domini, verbo Dei egregiè confirmant: & ijs solidè demonstratur, præsentiam illam non tantùm de manducatione credentium & dignorum, verùm etiam de in-

fide-

delibus & indignis communicantibus intelligendam esse.

Et quia singularibus & excellentissimis Spiritus sancti donis illuminatus Heros Doct. Lutherus, in spiritu reuerendit, quod post mortem ipsius, quidam ipsum sectum facturi essent, quasi vel à doctrina iam commemorata, vel ab alijs etiam partibus purioris doctrinae recesserit: eam ob causam Maiori suæ, de cœna Domini, Confessione, hanc protestationem, sub finem, inseruit.

Quia video nullum esse sectarum & errorum finem, sed hæc mala indies incrementa sumere, Satanamque magis ac magis furere: ne quis igitur Sectariorum, me vivo, aut mortuo, aliquando nomen meum suo figmento prætexere possit, erroremque suum (non candidè in medium allatis meis scriptis) stabilire ausit: quod Sacramentarii, & Anabaptistæ iam facere cœperunt: Fidem meam, in hoc scripto, coram Deo & toto mundo, de omnibus religionis nostræ articulis, profitebor. Et in ea fide (Domino me bene iuuante) ad extremum usque vitam Spiritum perseverare, atque ex hac vita emigrare, & corâ tribunali Domini nostri Iesu Christi intrepidè comparere paratus sum. Ac si quis fortè post meum obitum diciturus esset: si D. Lutherus nunc viueret, protestatio de hoc vel illo articulo longè aliter sentiret atque doceret: (non enim satis diligenter eam rem hæcenus expendit) Contra hoc figmentum id iam dico, quod nunc esse affirmaturus: & quod tunc diciturus essem, eam iam nunc profiteor: me, videlicet, per gratiam Dei omnes hosce articulos quàm diligentissimè expendisse, & non semel, sed sæpissime ad normam sacre scripturæ exegisse, & tanquam ad Lydium lapidem examinasse: nec minore animi constantia atque *παρρησια* singulos articulos defensurum, quàm quæ nunc doctrinam de Sacramento altaris propugnaui.

Non

Tom. VII.
Ger. 2. fol.
243.

Non temulentus sum, aut parum consideratè loquor: scio, quid affirmem: & intelligo, quanta res mea agatur in illo die Domini nostri Iesu Christi, cum venerit, vivos & mortuos iudicaturus. Quare nemo me, in re tam magna & seria, nugari existimet: hæc enim res vel maximè cordi mihi est. Noui (Dei beneficio) Satanam magna ex parte: qui cum possit verbum Dei & sacras literas peruertere & deprauare: quid ille meis aut cuiuspiam alterius scriptis non faceret.

Fol. 245.

Post hanc Protestationè D. Lutherus sanctæ memoriæ inter alios articulos etiã hunc ponit: Eodem modo (inquit) loquor & confiteor etiam de Sacramento altaris: quòd nimirum, ibi reuera corpus & sanguis Christi in pane & vino ore edatur & bibatur: etiam si ministri, qui Cœnam Domini distribuunt, aut qui eam sumunt, non credant, aut al. as sacra Cœna abutantur. Cœna enim Domini non nititur hominum fide aut incredulitate, sed verbo Dei & ipsius institutione. Nisi fortè verbum Dei prius immutent, & profus alter, quàm oportet, interpretentur: vt hodie Sacramenti hostes faciunt. Hi procul dubio nil nisi panem & vinum in Cœna habent, quia neq; verba neq; institutionem Domini habent, sed ea, ad suam falsam opinionem inflexerunt, mutarunt, & deprauarunt.

*Tam. 2.
Vnit. Ger.
fol. 252.*

Et sane D. Lutherus (qui certè veram & genuinam Augustanæ Confessionis sententiam, præ alijs intellexit, & eam constanter, vsq; ad finem vitæ, retinuit & defendit) paulò ante suã ex hac vita discessum, in postrema illa sua de Cœna Domini confessione: fidem suam de hoc articulo magno zelo, sequentibus verbis professus est, atq; reperit, vbi sic ait: Ego omnes eos eodem numero habeo, hoc est, pro Sacramentarijs & fanaticis agnosco, (sunt enim tales) qui credere nolunt, quòd panis Domini in sacra Cœna sit verum ipsius naturale corpus, quòd impius quispiam, vel Iudas ipse,

non

omnino ore accipiat, quàm D. Petrus, & omnes a-
 Sancti: Qui (inquam) hoc credere recusat, is me
 nullum faciat: neque ullam amicitiam aut familiari-
 tatem à me expectet: sic enim stat sententia, quam non
 mutaturus.

Ex hisce (præsertim verò D. Lutheri, vt Primarij
 Doctoris Augustanæ Confessionis) declarationibus,
 quas prolixè recitauimus, cuilibet homini cordato (si
 modò is veritatis & pacis sit studiosus) manifestum,
 certum & indubitatum esse potest, quæ fuerit, hodieq;
 genuina & vera Confessionis Augustanæ S E N-
 T E N T I A.

Quòd autem præter illas phrasès, quibus Christus
 & Paulus vtuntur (cùm dicunt: panem in cœna esse
 corpus Christi, aut, communicationem corporis Chri-
 sti:) etiam alias loquendi formas vsurpamus: verbi
 gratia, cùm dicimus, sub pane, cum pane, in pane adesse
 & exhiberi corpus Christi: id non sine grauib;
 causis facimus. Primùm enim his phrasibus ad reijci-
 endam Papisticam Transsubstantiationem vtimur. De-
 inde etiam Sacramentalem vnionem substantiæ panis
 non mutatæ, & corporis Christi hac ratione docere
 volumus. Ad eundem enim modum hoc dictû, V E R-
 B U M C A R O F A C T U M E S T, repetitur & de-
 claratur alijs æquipollentibus propositionibus: ex-
 emplî gratia: Verbum habitauit IN nobis: In Chri-
 sto inhabitat tota plenitudo diuinitatis corporaliter:
 Deus erat cum eo: Deus erat in Christo, &c. & alia
 plura huius generis. Hæ phrasès suprâ commemora-
 tum dictum Iohannis reperunt & declarant: videlicet,
 quòd per incarnationem diuina essentia non sit in hu-
 manam naturam conuersa: sed quòd duæ naturæ sine
 confusione personaliter sint vnitæ. Et quidem multi
 excellentes Doctores ex erudita antiquitate, Iustinus,
 Cyprianus, Augustinus, Leo, Gelasius, Chrysostomus

& alij, hac ipsa similitudine (de persona Christi) mysterium sacramenti Coenae Dominicae explicant. Docent enim, quemadmodum in Christo duae distinctae & non mutatae naturae inseparabiliter sunt vnitae: ita in sacra Coena, duas diuersas substantias, panem videlicet naturalem, & verum naturale corpus Christi in instituta sacramenti administratione hic in terris simul esse praesentia: Quod tamen non ita est accipiendum, quasi vnio haec corporis & sanguinis Christi cum pane & vino, sit personalis vnio: qualis est vtriusque naturae in Christo: sed est vnio sacramentalis: vt eam D. Lutherus & alij (in illa Concordiae formula Anno 36. conscripta & aliàs) appellant. Quo significare volunt, etiamsi formis loquendi, in pane, sub pane, cum pane, quandoque vtantur, tamen se propositionem (hoc est corpus meum) simpliciter, & vt verba sonant, accipere & amplecti, eamque nequaquam pro figurata, sed pro inuitata praedicatione agnoscere. Sic etiam Iustinus de hoc negotio loquitur, inquit: Non vt panem vulgarem & potum accipimus: sed quemadmodum Christus Seruator noster, per verbum Dei, caro est factus, carnem quoque & sanguinem propter nostram salutem habuit: ita etiam credimus, per verbum & preces ab ipso sanctificatum cibum, Dominus nostri Iesu Christi corpus & sanguinem esse. Et sane D. Lutherus (in Maiori, praesertim vero vltima sua confessione de Coena) eam de hac re formam loquendi, qua Christus in prima Coena celebranda vsus est, grauitate & magno zelo defendit.

Cum autem D. Lutherus haud dubie praecipuus earum Ecclesiarum, quae Augustanam Confessionem amplexae sunt, Doctor fuerit (cuius tota doctrina, tanquam compendio, summam in Augustana Confessione comprehensa, & Imperatori Carolo V. exhibitata est) profecto commemoratae illius Augustanae

Con-

Confessionis propria, vera, & genuina sententia, ex nul-

lus hominis libellis rectius & certius, quam ex D. Lu-

theri Didacticis & Polemicis scriptis hauriri potest.
Et quidē hęc ipsa iam cōmemorata D. Lutheri sen-

tentia, in vnica solidissima, immota, & extra omne du-

muum posita petra veritatis (institutione nimirū Coenę
quę in verbo Dei recitatur) fundata est: & hanc sen-

tentiam sancti Euangelistę, Apostoli, & ipsorum disci-
puli ad eum modum acceperunt & amplexi sunt, eam-
que alios docuerunt, atq; ad posteritatē propagarunt.
Cū enim Dominus & Saluator noster Iesus Chri-
stus: de quo (vt de vnico nostro pręceptore) seuerissi-
mum mandatum de cœlis omnibus hominibus datum
est: *H VNC A V D I T E*: nō sit vulgaris aliquis homo, aut
Angelus: nec sit tantummodō verax, sapiens, potens;
sed & ipsa aeterna veritas & sapientia, & verus Omni-
potens Deus, qui rectissimē nouit, quid & quomodo
loqui debeat, & omnia, quę loquitur ac promittit,
potentissimē efficere & pręstare valet, sicut ipse inquit:
Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non
transibunt. Et alibi: Mihi data est omnis potestas in cœ-
lo & in terra, &c.
Cū, inquā, hic verax, omnipotens Dominus, crea-
tor & Redemptor noster Iesus Christus, post vltimam
illam Coenam, cū iam iam acerbissimam suam pas-
sionem & mortem pro peccatis nostris accederet, tri-
stissimo nimirum illo, & postremo tempore, re grauis-
sime deliberata, & magno zelo, augustissimum hoc Sa-
cramentum Ecclesię ordinauerit (quod vsque ad fi-
nem mundi magna cum reuerentia, obedientia &
humilitate sumendum, & perpetuum acerbissimę pas-
sionis & mortis, & omnium beneficiorū eius monumē-
tum futurū erat, simulq; obsignatio & cōfirmatio No-
ui Testamenti, solatium omnium perturbatarum con-
scientiarum, firmum vinculum societatis Christianę,

Matth. 19.

Luc. 21.

Matth. 28.

& cum capite suo Christo, & inter se inuicem, coniunctio arctissima:) certè res grauiſſimas & longè maximas animo agitauit, cum hæc verba institutionis Coenæ (de pane illo, cui benedicebat, & quem discipulis porrigebat) pronunciaret: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et de calice, seu vino: HIC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.

Hæc cum ita se habeant: profectò æterni, veracissimi atq; Omnipotentis Filij Dei, Domini, creatoris & Redemptoris nostri Iesu Christi verba, non vt figuratè, Metaphoricè, tropicè dicta aut prolata, in aliam sententiam detorquenda sunt: vt nostræ humanæ rationi verisimilia fiant. Quin potiùs hæc Christi verba, vt sonant, in propria sua ac perspicua sententia, simplici fide & debita obedientia atque reuerentia accipere tenemur. Neque committendum est, vt vllæ obiectiones aut hominum contradictiones, quæ ab humanæ rationis acumine promanant, vtcunque humanæ rationi blandiantur, nos ab expresso illo Christi Testamento abducant.

Sanctissimus Patriarcha Abrahamus, cum verbum Dei, de offerendo filio suo audisset, poterat certè occasionem disputandi arripere, an verba secundum litteram accipere, an verò comoda & tolerabiliore aliqua interpretatione lenire deberet: quandoquidem non modo cum omni ratione, & cum Lege Dei & naturæ, Verùm etiam cum præcipuo illo fidei articulo, de promisso semine Christo, qui ex Isaaci stirpe nasciturus erat, apertè pugnare viderentur. Veruntamen, sicut antea promissionem de benedicto semine (ex Isaaci progente nascendo) fide acceperat atq; amplexus fuerat: etsi id ipsum rationi eius impossibile videretur: & sic Deo laudem veritatis tribuerat, certissimè sciens atque

credens,

credens, quæ Deus, quæ promississet, etiã præstare posset :
 ita quoq; nunc simpliciter accipit verbũ & mandatum
 Dei, secundũ literam, remq; totam diuinæ Omni-
 potentia & Sapientia permittens : quam scit multò
 clares habere modos, per quos promissionem illam
 semine, ab Isaaco propagando, implere posset,
 quam ipse cæca sua ratione comprehendere valeret.
 Et ad hunc modum etiam nos vera humilitate & obe-
 dientia creatoris & redemptoris nostri, perspicuo, firmo,
 claro & maximè serio verbo & mandato (absq; omni
 hesitatione & disputatione, quomodo id ad nostram
 rationem quadret, aut possibile sit) simpliciter CRE-
 DERE debemus. Hæc enim verba locutus est Do-
 MINVS ille, qui immensa est DEI patris Sapientia, &
 veritas ipsa : qui omnia, quæ promittit, certissimè re-
 ipsa perficere & præstare potest,

Et sanè omnes circumstantiæ institutionis Cœnæ
 Dominicæ luculenter testantur : verba illa Domini &
 Saluatoris nostri Iesu Christi (quæ per se perspicua,
 firma, clara, & indubitata sunt) non aliter, quàm in-
 terpretata, propria & communi significatione accipi posse
 & debere. Cùm enim Christus mandatum illud (de e-
 dendo corpore suo, &c.) in mensa, & in Cœna dederit,
 dubium esse non potest, quin de vero naturali pane, &
 de vero naturali vino, atque de manducatione, quæ
 ore fit, loquatur : ita vt nulla in vocabulo (panis) me-
 taphora esse possit; quasi Christi corpus spirituales
 panem aut spirituales cibum animæ dicere voluerit.
 Et Christus ipse præcauere studuit, ne metonymia in
 vocabulo (corporis) intelligeretur : & ne existimaretur
 de signo corporis sui, aut tantũ de symbolo, vel
 de figurato corpore, aut de virtute corporis sui, seu de
 beneficijs, quæ oblatione corporis sui nobis prome-
 rit, agere. Disertè enim loquitur de vero, essentiali,
 & substantiali suo corpore, quod in mortem pro no-
 bis tradidit, & de vero, substantiali sanguine suo, quem

pro nobis in ara crucis, in remissionem peccatorum effudit.

Atqui nullus potest esse tam fidelis aut idoneus atque doctus interpret verborum Iesu Christi, quam ille ipse Christus Dominus, qui sua verba illa certissima, suam mentem atque sententiam omnium optimè intelligit, atque ad eam dextrè declarandam intelligentia & sapientia instructissimus est. Hic in declaratione imprimis ultimæ suæ voluntatis, Testamenti, & perpetui fœderis atque coniunctionis, non figuratis, non ambiguis, sed proprijs, simplicissimis & disertis verbis voluit: quemadmodum etiam in alijs fidei articulis ponendis & confirmandis, atque in signis gratiæ & pacti, seu Sacramentis instituendis (verbi gratia in circumcissione, in constituendis olim Sacrificijs veteris Testamenti, postea verò in Baptismi institutione (non verbis obscuris, figuratis, aut ambiguis uti solitus est, Et, ut omnem ambiguitatem caueret, satis mentem suam declaravit, cum de corpore suo in sacra Cœna exhibendo, dixit: quod pro vobis datur: & de sanguine qui pro vobis effunditur. Et cum Apostoli hæc ipsius verba simplicissimè acciperent, relinquit eos in hac propria & simplice sententia, ac mandat illis, ut omnes gentes ad eum modum doceant: iubeantq; eas observare, quæ ipsis, Apostolis, à Christo præcepta erant.

Matth. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

I. Cor. II.

Qua de causa etiam tres Euangelistæ, Mattheus, Marcus, Lucas, & D. Paulus, qui institutionem Cœnæ Dominicæ ab ipso Christo, post ascensionem ipsius acceperat, unanimi consensu, iisdem verbis & syllabis, hæc clara, firma, perspicua, & vera verba Christi, *HOC EST CORPUS MEVM*, prorsus eodem modo de benedicto & distributo pane, sine omni tropo, figura, aut variatione, recitant. Itaq; dubium esse non potest, quin & de altera parte Sacramenti hæc verba (*Hic calix est Nouum Testamentum in meo sanguine*)

in Euang.

in Evangelista Luca & Paulo nullam aliam sententiam
 habeant, quam verba Matthæi & Marci: qui dicunt:
 Hoc, quod ore ex calice bibitis: est sanguis meus, No-
 uum Testamenti: quo, videlicet, hoc Testamentum me-
 um & Nouum fœdus, videlicet, remissionem peccato-
 rum, vobis hominibus sancio, seruo, ob signo & confir-
 matione.

Sed & hæc reperitio, confirmatio, & declaratio
 verborum Christi, quam D. Paulus ponit (vt clarissi-
 mum veræ substantialis-præsentix, & distributionis
 corporis & sanguinis Christi in Cœna testimonium)
 singulari diligentia & accuratè est expendenda. Sic e-
 nim ait: Calix benedictionis, cui benedicimus, nõne
 communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem
 frangimus, nõne participatio corporis Domini est?
 His enim Apostoli verbis docemur, quòd non modò
 calix ille, cui Christus in prima Cœna benedixit, &
 non modò panis, quem Christus fregit & distribuit,
 sed etiam panis, quem nos frangimus, & calix, cui nos
 benedicimus, sint corporis & sanguinis Christi, com-
 municatio: ita quidem, vt omnes, qui hunc panem
 edunt, atque è calice bibunt, verè accipiant atque
 participant verum corpus, & verum sanguinem Chri-
 sti. Etenim, nisi corpus Christi verè & substantialiter,
 sed duntaxat virtute & efficacia sua præsens esset, &
 numeretur, panis non corporis, sed Spiritus, virtutis &
 beneficiorum Christi communicatio dici debuisset,
 quemadmodum etiam Apologia prorsus eadem ratio-
 ne in hoc ipso negotio argumentatur & statuit. Et sane
 si D. Paulus duntaxat de spiritali communicatione
 corporis Christi, quæ per fidem fit, ageret, (vt Sacra-
 mentarij hoc Paulinum dictum suo more deprauare
 solent) non dixisset, panis, sed spiritus, aut fides est
 communicatio corporis Christi: At Apostolus affirmat,
 panem esse communicationem corporis Christi, quòd,

I. Cor. 10.

videlicet, omnes, qui participant benedictum panem, etiam corporis Christi participes fiant. Ex eo ergo hoc conficitur, Paulum haudquaquam de spirituali, sed de Sacramentali seu ea, quæ ore fit, participatione corporis Christi loqui, quæ pijs & impijs, titulo duntaxat Christianis, communis est.

Hanc piam nostram sententiam etiam ratio & circumstantiæ concionis illius Paulinæ confirmant. Eos enim, qui de Idolothytis edebant, & Ethnicis cultibus diabolicis communicabant, nihilominus autem etiam ad mensam Domini accedebant, & corporis & sanguinis Christi participes fiebant, Paulus à tanto facinore deterret, & admonet, ne sibiipsis ad iudicium & damnationem corpus & sanguinem Christi sumant. Cum enim omnes illi, qui benedicti & distributi panis in sacra Coena participes sunt, etiam cum corpore Christi communicationem habeant, profectò D. Pauli verba non possunt accipi de spirituali communicatione cum Christo, quæ nemo abuti unquam potest, & à qua homines non sunt deterrendi.

Quare Patres & pij Maiores nostri, D. Lutherus & alij sinceri Doctores Augustinæ Confessionis, hoc D. Pauli dictum eiusmodi verbis declarant, ut cum verbis Christi optimè consentiat: ut cum ad hunc modum id explicant: Panis, quem frangimus, est corpus Christi & distributum, seu communicatum corpus Christi, quod inter eos distribuitur, qui fractum panem accipiunt.

1. Cor. 10.

In hac simplici & solidè fundata explicatione luculenti illius testimonij Paulini magno consensu acquiescimus. Et non iniuria miramur, quòd audaces homines reperiantur, qui, cum ipsi ante hæc tempora Sacramentarijs hoc Pauli dictum opposuerint, nunc illud ipsum pro fundamento erroris sui (quod videlicet corpus Christi in Coena spiritualiter tantummodò sumatur) ponere non erubescant. Sic enim loquuntur.

Panis

Panis est comunicatio corporis Christi, hoc est, id, quo fit societas cum corpore Christi, quod est Ecclesia: seu, est medium, per quod fideles unimur Christo: sicut verbum Euangelij fide apprehensum, est medium, per quod Christo spiritualiter unimur, & corpori Christi, quod est Ecclesia, inserimur.

Quodd autem non tantum pii & credentes in Christum, verum etiam indigni, impij, hypocritæ (verbi gratia: Iudas, & huius farinae homines, qui nullam prorsus spirituales cum Christo communicationem habent, & sine vera poenitentia atque conuersione ad Deum, ad Cœnam DOMINI accedunt) etiam verum corpus, & verum sanguinem Christi, ore, in Sacramento sumant, & grande scelus, indignè edendo & bibendo, in corpus & sanguinem Christi admittant, id D. Paulus expressè docet, cum affirmat, quod ij, qui indignè de illo pane edunt, & de calice DOMINI bibunt, rei fiant non tantum panis & vini, non tantum signorum & symbolorum, aut figuræ corporis & sanguinis: sed quod rei sint corporis & sanguinis IESU CHRISTI, quem in sacra Cœna præsentem contumelia atque ignominia afficiunt: sicut Iudæi, qui ipso facto & opere (indignis modis Salvatorem tractantes) in corpus CHRISTI horribiliter peccarunt, & CHRISTUM occiderunt. Sic enim antiquissimi, pii & eruditi Doctores Ecclesiæ hoc Pauli dictum intellexerunt: & magno consensu in hæc sententiam sunt interpretati.

I. Cor. II.

Duplex igitur est manducatio carnis Christi. Vna spiritualis, de qua præcipuè Christus in Euangelista Iohanne, capite sexto, agit: quæ non alio modo, quam spiritu & fide in prædicatione & meditatione Euangelij fit, non minus, quam eum Cœna Domini dignè, & in fide, sumitur. Hæc spiritualis manducatio per se utilis & SALVTARIS est, OMNIBVSQVE Christia-

Iohann. 6.

nis, & quidem **OMNIBVS** temporibus ad salutem **NECESSARIA** est: sine qua spirituali participatione Sacramentalis illa, aut quæ ore duntaxat fit, manducatio in Cœna non modò accipientibus non salutaris, sed noxiæ etiam & damnationis causa esse solet.

Spiritualiter igitur manducare nihil aliud est, quàm **EREDERE** prædicato verbo Dei, in quo nobis Christus verus Deus & homo, cum omnibus beneficijs, quæ carne sua, pro nobis in mortem tradita, & sanguine suo pro nobis effuso, promeruit, offertur, videlicet, gratia & clementia Dei, remissio peccatorum, iustitia, & vita æterna. Hæc qui ex verbo Dei commemorari audit, fide accipit, sibiq; applicat, & hac consolatione totus nititur (quòd Deum placatum, & vitam æternam, propter mediatorem Iesum Christum habeamus:) qui, inquam, vera fiducia in verbo Euangelij firmiter, in omnibus tribulationibus & tentationibus, acquiescit: hic spiritualiter Corpus Christi edit, & sanguinem eius bibit.

Altera verò manducatio corporis Christi, est Sacramentalis, & ore fit, quando in sacra Cœna verum, & substantiale corpus & sanguis Christi, ore accipiuntur atque participantur: ab omnibus, qui panem illum benedictum, & vinum in Cœna Dominica, edunt & bibunt. Ac pij quidem corpus & sanguinem Christi in certum pignus & confirmationem accipiunt, quòd peccata ipsis certò sint remissa, & quòd Christus in ipsis habitet atq; efficax esse velit. Impij verò idem corpus & eundem sanguinem **CHRISTI** etiam ore suo, sed ad iudicium & damnationem sumunt. Hoc Christi verba, quibus Cœnam instituit, expressè docent. In prima enim Cœna mensæ assidens, discipulis suis naturalem panem, & naturale vinum porrigit: & de ijs pronunciat, verum esse corpus, & sanguinem suum: & iubet eos edere & bibere. Ergo illud Christi

man-

mandatum, consideratis diligenter omnibus circumstantijs, non potest nisi de orali, non autem de crassa, carnali, Capernaitica, seu de supernaturali & incomprehensibili manducatione corporis Christi intelligi. Ad hanc manducationem, quæ ore fit, Christus mandato suo etiam alteram requirit: cum inquit: Hoc facite in mei commemorationem: hinc enim **FIDEM** (quæ est spiritualis corporis Christi participatio) postulat.

Quare tota erudita & pia antiquitas (secundum hæc verba institutionis Christi, & explicationem Pauli) expressè, & cum tota Catholica Ecclesia magno consensu, docuit, quod corpus Christi non tantum spiritualiter, fide (quod etiam extra usum Sacramenti fieri potest) verum etiam ore, non modò à credentibus, sed & ab indignis, infidelibus, hypocritis, nomine dumtaxat Christianis, accipiantur. Quæ antiquitatis testimonia recitare, hoc loco nimis esset prolixum: quare Lectorem ad nostrorum scripta, in quibus hæc copiosè tractata sunt, remittimus.

Ex his manifestum est, quàm iniquè, virulentis sarcasmis Sacramentarij Domino nostro Iesu Christo & D. Paulo, totiq; Ecclesiæ insultent: qui oralem & indignorum manducationem vocant, duos pilos caudæ equinæ: & commentum, cuius vel ipsum Satanam pudeat: doctrinam verò de Maiestate Christi & SACRAMENTUM Satanæ, quo diabolus sibi ipsi & hominibus illudat, appellare ausi fuerint. Hæc aded horrenda sunt, ut homo Christianus ea sine horrore non recitare possit.

Accuratè autem hoc etiam declarandum est, quoniam sint indigni conuiuæ, in hac sacra Cœna. Hi nimirum, qui sine vera pœnitentiâ & contritione, & sincera fide, & absque bono proposito, vitam emendandi, ad cœnam Domini accedant. Hi sibi ipsi iudicium,

hoc

hoc est, temporales & aeternas pœnas indignâ suâ orali manducatione corporis Christi accerunt: & corporis atq; sanguinis CHRISTI rei fiunt.

Digni verò conuiuæ in Cœna Domini sunt, infirmè in fide, pusillanimes, perturbati Christiani, qui dum magnitudinem & multitudinem peccatorum suorum secum reputant, cohorrescunt: qui magnam suam immundiciem considerantes, hoc preciosissimo thesauro, & beneficijs Christi indignos sese iudicant: qui fidei suæ infirmitatem sentiunt atq; deplorant, & nihil magis in votis habent, quàm vt Domino Deo firmiore & alacriore fide, & puriore obedientia seruire possint. Hi (vt diximus) sunt verè digni illi conuiuæ, in quorum gratiam, & quibus recreandis inprimis hoc augustissimum sacramentum & sacrum conuiuium est institutum. Christus enim eiusmodi homines benignissimè inuitat, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Et alibi ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Et Apostolus inquit: Virtus mea (dicit Dominus) in infirmitate perficitur. Et ad Romanos scribit: Infirmum in fide assumite: & paulò post: Deus eum assumpsit. Quisquis enim in filium Dei crediderit, siue is firma siue infirma fide præditus fuerit, habet vitam aeternam.

Dignitas igitur neque in magna, neque in exigua infirmitate aut firmitate fidei, sed in merito Christi consistit. Huius fructum infirmus ille in fide angusti; animi parens, qui opem Christi in curando filio miserrime implorabat, non minùs, quàm Patriarcha Abraham, Apostolus Paulus, & alij, qui robustam fidem habere, participat.

Et hæc de vera præsentia & duplici manducatione corporis & sanguinis Christi, quæ aut fide spiritualiter,

aut

Matth. II.

Matth. 9.

2. Cor. 12.

Rom. 14.

Iohan. 3.

Marc. 9.

ur ore sit (quæ posterior dignis & indignis communis est) dicta sunt.

CVM verò etiam de Consecratione, & de vſitata illa regula (Nihil habet rationem Sacramenti extra ſe ſeu actionem diuinitus inſtitutam) diſſenſiones quædam inter aliquos Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, incidere: de his etiam duobus capitibus vnam & piam noſtrum conſenſum declarare viſum eſt. Ac de priore illa quaſtione, quæ eſt de Consecratione, ſentimus: quòd veram præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna non efficiat, vlius hominis vel verbum, vel opus, dignitas, ſeu meritum, ſiue pronuntiatio miniſtri: ſeu manducatio, ſeu fides communicantium: horum nullum nobis corpus & ſanguinem Chriſti præſentia facit. Sed hoc totum, quòd in Cœna Chriſti corpus præſens habemus, ſimpliciter, & in ſolidum omnipotentis Dei virtuti, & verbo, inſtitutioni, & ordinatiõni Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt adſcribendum.

Veriſſima enim illa & omnipotentia verba Ieſu Chriſti, quæ in prima inſtitutione pronunciauit, non modò in prima illa Cœna efficacia fuere: ſed eorum vis, virtus, & efficacia adhuc hodie durant & valent: ita quidem certè, vt eorum virtute in omnibus locis, vbi Cœna Domini iuxta Chriſti inſtitutionem celebratur, & verba ipſius vſurpantur, virtute & potentia eorum verborum, quæ Chriſtus in prima Cœna locutus eſt, corpus & ſanguis Chriſti verè præſentia diſtribuantur & ſumantur. Chriſtus ipſe enim (vbi ipſius inſtitutio obſeruat, & verba eius ſuper pane & vino recitantur, & benedictus panis & vinum benedictum diſtribuantur) per verba illa recitata, VIRTUTE PRIMAE INSTITUTIONIS, hodie etiam, verbo ſuo, quod repeti vult, efficax eſt. Hanc piam noſtram ſententiam Chryſoſtomus his verbis confirmat.

De prædicatione Iuda

Et

*Hom. 7. si-
no de pas-
sione.*

Et nunc (inquit) illi præsto est Christus, qui illam or-
navit mensam, ipse istam quoq; consecrat. Non enim
homo est, qui proposita, panem & vinum, corpus Chri-
sti facit & sanguinem: sed ille, qui crucifixus pro nobis
est, Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei
virtute consecrantur, & gratia. Hoc est, ait, corpus me-
um: hoc verbo proposita elementa in Cœna conse-
crantur. Et sicut illa vox, quæ dicit: Crescite & multi-
plicamini, & replete terram, semel quidem dicta est,
sed omni tempore sentit effectum, ad generationem
operante natura: ita & vox illa (hoc est corpus meum
hic est sanguis meus) semel quidem dicta est: sed per
omnes mensas Ecclesiæ, vsq; ad hodiernum diem, &
vsq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.

*Tom. 6. Ie.
fol. 99.*

D. Lutherus de hac ipsa re ad eundem modum scri-
bit: Hæc illius infusio & institutio possunt hoc præsta-
re, & efficiunt, ut non nudum tantum panem & vinum,
verum etiam corpus & sanguinem ipsius distribuamus
& accipiamus. Sic enim verba ipsius habent: Hoc est
corpus meum: Hic est sanguis meus. Itaq; non opus
nostrum, non pronuntiatio nostra, sed mandatum &
ordinatio Christi efficiunt, ut panis sit corpus, & vi-
num sit sanguis Christi: idq; iam inde à prima institu-
tione Cœnæ, vsq; ad finem mundi fieri solet: nostro au-
tem ministerio hæc quotidie distribuuntur,

*Tom. 3. Ien.
fol. 446.*

Item alibi: Sic & hic fit: Etiam si de omnibus pani-
bus hæc verba pronunciamus: Hoc est corpus Christi,
nihil tamen ea re efficeretur. At quando ad ipsius ma-
datum & institutionem in administratione Cœnæ Do-
minicæ dicimus: hoc est corpus meum: tunc revera
est ipsius corpus. Non propter nostram pronuntiatio-
nem: aut, quod hæc verba pronunciata hanc habeant
efficaciam: sed quia Christus nobis præcipit, ut hæc
verba pronunciemus, & hoc agamus, quod ipse in pri-
ma cœna fecit: & hoc modo suum mandatum & fa-
ctum cum recitatione nostra coniunxit.

Et

Et quidem verba institutionis Christi in administratione Cœnæ Dominicæ palàm coram Ecclesia disertè & clarè recitentur, aut decantentur: neq; vlla ratione intermittantur: idq; plurimis & grauissimis de causis. Primum quidem, vt satisfiat & pareatur Christi mandato, qui inquit: Hoc facite: non igitur omittendum est, quod Christus ipse in sacra Cœna fecit. Deinde, vt auditorum fides, de substantia & fructu huius Sacramenti (de præsentia corporis & sanguinis Christi, & de remissione peccatorum, omnibusq; beneficijs, quæ nobis Christi morte, & sanguinis profusione parta sunt, & nobis in Testamento Christi donantur) per verba Testamenti Christi excitetur, confirmetur, & quàm certissima reddatur. Præterea, vt elementa panis & vini, ad hunc sacrum usum (quo videlicet nobis vna cum illis Christi corpus manducandum, & sanguis eius bibendus exhibeatur) sanctificentur seu benedicantur, vt D. Paulus inquit: Calix benedictionis, cui benedicimus, &c. hæc autè benedictio non alia ratione fit, quàm verborum institutionis repetitione & recitatione.

Hæc tamen benedictio seu recitatio verborum institutionis Christi sola, non efficit Sacramentum, si non tota actio Cœnæ, quemadmodum ea à Christo ordinata est, obseruetur. Verbi gratia: cum benedictus panis non distribuitur, sumitur, aut participatur: sed vel includitur, vel sacrificatur, vel circumgestatur, Mandatum enim Christi, (Hoc facite) quod totam actionem complectitur, totum & inuolatum obseruandum est. Ad huius autem Sacramenti administrationem requiritur, vt in conuentu aliquo piorum hominum panis & vinum benedictione consecrentur, dispensentur, sumantur, hoc est, edantur & bibantur, & mors Domini annuncietur. Ad hunc enim modum D. Paulus totam actionem, in qua panis frangitur, seu distribuitur & sumitur, ob oculos nobis proponit.

1. Cor. 10.

Acce-

Accedamus iam etiam ad alterum caput, de quo paulò antè mentio est facta. Ut vera & pia doctrina de Cœna Domini sincera conseruaretur: & multiplices Idololatriæ abusus atq; corruptelæ huius sacrosancti Testamenti Christi vitarentur, & abolerentur: utilis hæc regula & norma ex verbis institutionis Cœnæ desumpta est: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum à Christo institutum: seu extra actionem diuinitus institutam. Hæc regula nequaquam reijcienda est: magno enim cum fructu in Ecclesia Christi retineri potest & debet. Vocabula autem (usus seu actio) in hoc negotio propriè non significant fidem, nec solam manducationem, quæ ore fit: sed totam externam visibilem actionem Cœnæ Dominicæ à Christo institutam. Ad eam verò requiritur: Consecratio, seu verba institutionis: distributio & sumtio, seu externa, quæ dicitur, oralis manducatio benedicti panis & vini: item corporis & sanguinis Christi perceptio. Et, cum extra hunc usum, panis in Missa Pontificia non distribuitur, sed vel offertur, vel includitur, vel circumgestatur, aut adorandus proponitur, non est ille pro Sacramento agnoscendus. Quemadmodum etiam aqua Baptismi, si ad campanas baptizandas, aut ad curandam lepram adhiberetur, aut adoranda proponeretur, nullam haberet Sacramenti (Baptismatis) rationem. Huiusmodi Pontificijs abusus hæc regula in initio renascentis Euangelij opposita, & ab ipso D. Lutero piè declarata est.

Tom. 4.
len.

Interim tamen dissimulare non debemus, quòd Sacramentarij hanc vtilem & necessariam regulam vtrè, subdolè, & malitiosè ad negandam veram & substantialem præsentiam, & oralem manducationem corporis Christi (quæ hîc in terris fit, & dignis atq; indignis communis est) falsa interpretatione deprauent. Interpretantur enim eam de spirituali usu FIDEI interno,

ac ten-

ac (estiant, sumtionem cœnæ Dominicæ indignis non esse Sacramentum: & fieri communicationem corporis Christi, tantummodò spiritualiter per fidem: aut fidem hoc præstare, vt corpus Christi in cœna præsens sit. Inde porrò colligunt, indignos, infideles, hypocritas, corpus Christi nec præsens habere, nec accipere.

Atqui fides nostra Sacramentum non efficit: sed tantùm Omnipotentis Dei atque saluatoris nostri Iesu Christi certissimum verbum & institutio hoc præstant. Verbum enim Domini in Ecclesia efficax est manetq; neq; vel dignitate vel indignitate ministri, neq; fidei incredulitate quicquam ei derogatur, aut virtus eius enervatur. Sanctum Christi Euangelion est, permanetq; Euangelion, etiamsi impij quidam audientes nullam illi fidem adhibeant, in quibus etiam illud non est efficax ad salutem: idem etiam fit in sumtionem Sacramentis vt Christus in verbis suis (Accipite, edite, hoc est corpus meum) verax maneat, siue communicantes in ipsum credant, siue non credant: præsentiam enim corporis & sanguinis sui non per nostram fidem, sed per omnipotentiam suam efficit.

Quare perniciosus error est, quem aduersarij impudenter defendunt, & subdola deprauatione vsitatæ huius regulæ, plus fidei nostræ (quippe quæ, ipsorum opinione, corpus Christi præsens nobis sistat, atque participet) quam omnipotentiam Domini atque saluatoris nostri Iesu Christi, adscribunt.

Iam quod ad Sacramentariorum varia & imaginaria fundamenta atque futiles obiectiones attinet, quas illi de essentialibus & naturalibus humani corporis proprietatibus, de ascensu Christi ad cœlos, & de ipsius ex hoc mundo discessu, & si quæ sunt his similia, adferunt: hæc nugæ, inquam, omnes & singulæ, argumentis è verbo Dei desumptis, solidè, neruôsè, & copiosè à D. Luthero in Polemicis ipsius scriptis refutata

sunt. Quare pium Lectorem (breuitatis studio) ad illius scripta remittimus. In his autem principem locum habent, Libellus, quem contra cœlestes Prophetas (vt tum vocabantur) edidit: & aliud opusculum, cuius inscriptio est: Quòd verba (hoc est corpus meum) adhuc firma constant: item, maior ipsius, & minor (post aliquot annos) edita Confessio de Cena Domini: & alia præterea eiusdē de hoc negotio euulgata opuscula. Neq; enim fanatici Spiritus à morte D. Lutheri vllum nouum argumentum in medium attulerunt.

Quòd autem nullis argumentis ab hominibus argute excogitatis, vtcunq; rationi blandiantur, abducere nos patimur, nec pati vel volumus, vel possumus, vel debemus a perspicua, simplicissima, & clara verborum Testamenti Christi sententia, in aliam opinionem, quæ ab expressis verbis CHRISTI recedit: sed simpliciter potius ea intelligimus & credimus: hæc nostra sunt fundamenta, quibus hætenus, post motam controuersiam in hoc articulo, constanter nixi sumus: quæ etiam D. Lutherus initio exortæ huius dissensionis contra Sacramentarios, sequentibus verbis posuit: Mea fundamenta, quib. in hoc negotio nitor, hæc sunt:

D. Lutherus in maiori sua de Cena Domini Confessione.

I.

Primum, est hic articulus fidei: Iesus Christus est substantialis, naturalis, verus, perfectus Deus & homo, in vna personâ indiuisus & inseparabilis.

II.

Secundum, quòd dextera Dei est vbiq;.

III.

Tertium, quòd verbū Dei neq; falsum est neq; fallax.

IIII.

Quartum, quòd Deus varios modos habet, nouitq; quibus aliquo in loco esse potest: neq; vno illo tantum modo contentus esse cogitur, de quo fanatici homines nugantur, quem Philosophi localem vocant.

Et Christi vnicum corpus (inquit Lutherus) tribus modis seu triplici ratione potest alicubi esse.

Primò, comprehensibili & corporali ratione: quali

vltus

visus est, cum in his terris corporaliter conuerteretur: cum certo loco secundum quantitatem suam circumscriberetur. Hoc modo etiam hodie uti potest, quoties visum fuerit: id quod post resurrectionem suam aliquoties fecit: & in nouissimo die tali ratione praesentiae sese manifestabit: sicut Paulus de Christo docet, inquit: Quem suis temporibus OSTENDET DEUS, & solus potens, rex regum, & Dominus dominantium. Et ad Colos. ait: Cum Christus APPARET, vita vestra, &c. Hoc modo non est in Deo, aut apud Patrem, aut in caelis: sicut fanaticus ille spiritus somniat. Deus enim non est corporalis locus. Et de hoc modo agitur in illis scripturae dictis, quae a fanaticis hominibus adferuntur: quod, videlicet, Christus mundum reliquerit, & ad patrem iuerit.

1. Tim. 6.

Colos. 3.

Deinde alio incomprehensibili & spirituali modo alicubi esse potest, ut loco non circumscribatur, sed per omnes creaturas penetret, pro liberrima sua voluntate: quemadmodum (ut crassa quadam similitudine rem utcumque adumbrem) visus meus per aerem, lumen, aut aquam penetrat, atque in ijs rebus est; neque tamen loco circumscribitur. Et quemadmodum sonus per aquam, aerem, aërem, aut parietem transit, & in ijs rebus est: neque tamen loco circumscribitur. Eodem modo etiam lux & calor per aerem, aquam, vitrum, crystallum, & per similes materias penetrant, & in ijs rebus sunt: nec tamen loco circumscribuntur: & quidem eius rei multae comparationes adduci possunt. Hoc modo usus est CHRISTVS, cum resurgens de sepulchro clauso & obsignato prodiret: & quando per ianuas clausas ad discipulos ingrederetur: & sicut est in pane & vino Coenae: atque hoc modo creditur de sanctissima virgine Maria, matre sua, natus esse.

Præterea alicubi esse potest diuino & caelesti modo, secundum quem cum Deo una est persona. Ea ratione

creaturæ longè illi præsentiores & penetratæ facilio-
res sunt, quàm iuxta secundum modum. Si enim iuxta
illum secundum modum potest esse in creaturis, &
apud creaturas, vt tamen ipsum non sentiant, tangant,
circumscribant, aut comprehendant; multò profectò
magis secundum hunc tertium, admirandū, sublimem
modum in omnibus creaturis, multo què mirabili-
us erit: vt ipsum non includant, circumscribant, aut com-
prehendant: sed potius, vt ipsas præsentibus habeat,
circumscribat, & comprehendat. Hunc enim præsen-
tiæ Christi modum, quem ex vnione personali cū Deo
habet, longissimè extra creaturas, quàm longè videli-
cet Deus extra creaturas est, ponere te oportet. Rursus
autem tam profundè & propè eundè modum in omni-
bus creaturas, quàm profundè & propè Deus in omnibus
creaturis est, ponet. Est enim vna inseparabilis persona
cum Deo: vbi igitur Deus est: ibi ipsum quoque esse,
aut fidem nostram falsam esse oportet. Quis autem
explicare, aut saltem cogitationibus suis assequi pote-
rit, quomodo hoc fiat? Scimus quidem rem reuera
ita se habere: quòd videlicet sit in Deo extra omnes
creaturas, & cum ipso vna sit persona: modum autem
quo ista fiant, ignoramus. Excedit hoc mysterium na-
turam, & rationis humanæ, imò etiam Angelorum in
cœlis captum; soli Deo notum est. Cùm igitur hoc ac-
canum nobis incomprehensum, & tamen verissimum
sit, non decet nos ipsius verbo contradicere, nisi firmis
argumentis probare possimus, quòd Christi corpus
nequaquam ibi esse valeat, vbi Deus est, & quòd hic
modus præsentia confictus sit. Hoc fanaticis illis ho-
minibus probandum incumbit: sed nunquam id præ-
stabunt.

An verò Deus etiam plures modos habeat & no-
rit, iuxta quos Christi corpus alicubi sit, ego haudqua-
quam negauerim. Hoc saltem indicare volui, quàm

crassi

illi & stupidi homines sint fanatici illi, qui Christi
 corpori non nisi vnicum illum, primum & comprehen-
 sibilem presentiae modum tribuunt. Sed neq; de illo
 modo probare poterunt, quod cum nostra sententia
 pugnet. Ego enim nunquam asserere velim, quod po-
 tentia Dei non efficere valeat, vt vnum corpus simul
 pluribus locis, etiam corporali & comprehensibili
 modo, adesse possit. Quis enim & quibus argumen-
 tis euincet, quod hoc Deo sit IMPOSSIBILE? Quis
 potentiae ipsius finem deprehendit? Fanatici quidem
 cogitant: Hoc Deus praestare non potest: sed quis
 eorum cogitationibus credat, & quo argumentorum
 genere has cogitationes suas confirmabunt? Haecenus
 Lutherus.

Ex his D. Lutheri verbis etiam manifestum est, in
 qua significatione vocabulum (Spiritualiter) in Ec-
 clesijs nostris, quo ad hoc negotium, vsurpetur. Vo-
 cabulum enim (Spiritualiter) Sacramentarijs nihil ali-
 ud significat, quam spirituales illam communio-
 nem: quando nimirum, per fidem, in Spiritu verè cre-
 dentes Christo Domino incorporantur, & reuera spi-
 ritualia membra corporis eius fiunt.

Cum verò D. Lutherus, aut nos vocabulo (Spiri-
 tualiter) in hoc negotio vtimur, intelligimus spiritua-
 lem, supernaturalem, coelestem modum, secundum
 quem Christus in sacra Coena praesens est: & non tan-
 tum in credentibus consolationem & vitam, verum etiam
 in infidelibus iudicium efficit. Et quidem per vo-
 cabulum illud (Spiritualiter) Capernaïticas illas imus-
 gnationes, de crassa & carnali presentia excludimus
 & reijcimus: quae Ecclesijs nostris per Sacramentari-
 os, post tot publicas nostras protestationes, affingit
 tur. Et in ea sententia intelligi volumus vocabulum a
 (Spiritualiter,) cum dicimus, corpus & sanguinè Chri-

tti in sacra Cœna spiritualiter accipi, edi & bibi. Tamen
etsi enim participatio illa ore fiat: tamen modus spiri-
tualis est.

Fides igitur nostra in hoc articulo de vera præsentia
corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna, super veri
& omnipotentis Dei, Domini & Saluatoris nostri Iesu
Christi VERITATEM & OMNIPOTENTIAM est
fundata & extructa. Hæc fundamenta ita solida atq;
immota sunt, vt & fidem nostram in omnibus tentati-
onibus (quæ de hoc articulo incidere possunt) confir-
mare & stabilire: & omnes Sacramentariarum obie-
ctiones & argutias, vtrunq; speciosæ sint, & humane
rationi plurimum blandiantur, refutare & euertere, &
pijs animis per omnia sufficere, & præsentissimam con-
solationem & fiduciam asserere possint.

QVARE reijcimus & damnamus corde & ore, vt
potè fallaces & fraude plenos, omnes errores, qui reci-
tatæ iam sanæ doctrinæ, & in sacris literis fundatæ, ad-
uersantur & repugnant.

I.

Pontificiam Transsubstantiationem: cum docetur,
quod panis & vinum, si consecrata seu benedicta fue-
runt, in sacrosancta Cœna, substantiam & essentiam su-
am penitus amittant, & in substantiam corporis &
sanguinis Christi conuertantur: ita quidem, vt sola
externa species panis & vini, siue accidentia sine sub-
iecto, reliqua maneant. Et quod fingunt, corpus
Christi sub specie panis (qui tamen panis ipsorum
opinionem iam non amplius est panis, sed naturalem su-
am essentiam amisit) reuera præsens esse, etiam extra
actionem Cœnæ Dominicæ: cum videlicet panis in sacra-
mento inclusus adseruatur, aut in solenni theatra pom-
posita adorandus ostentatur & circumgestatur. Nihil
enim rationem Sacramenti habere potest, extra man-
datum Dei, & usum à Christo institutum: vt supra mo-
nuimus.

II.

Repudiamus & damnamus etiam omnes alios Pon-
tificios

abusus huius Sacramenti: imprimis verò abominatorem sacrificij Missæ, pro vivis, & defunctis.

Quòd Laicis (vt vocant) vna tantùm Sacramenti species siue pars (& quidē contra expressum mandatum & clarā institutionē Christi) porrigitur. Et sanè hi aliq; furissimi Pontificij abusus, in Ecclesijs nostris, in eò mulla Confessione & Apologia, in Smalcaldicis articulis, & alijs nostrorū scriptis, solidè verbo Dei, & eruditè atq; piè antiquitatis testimonijs, refutati & reiecti sunt.

Cùm autem in hoc scripto præcipuè confessionē & declarationē nostrā de vera præsentia corporis & sanguinis Christi, contra Sacramentarios (quorū aliqui sub Augustanæ Confessionis titulo in Ecclesijs nostras sine fronte sese ingerunt) proponere voluerimus: eam ob causam Sacramentariorum errores præcipuè hoc loco recitare & commemorare visum est, eo fine, vt auditores nostri eos agnoscere & cauere possint.

Reijcimus igitur atq; damnamus corde & ore, vt falsas & imposturæ plenas, omnes Sacramentariorum opiniones, & dogmata, quæ supra commemoratæ, & in verbo Dei fundatæ doctrinæ non consentiunt, sed aduersantur & repugnant.

Cùm docetur: quòd verba institutionis non simpliciter in propria sua significatione, vt sonant, de vera substantiali corporis & sanguinis CHRISTI præsentia in Cœna Domini, accipienda, sed per tropos & figuratas significationes in alienam & nouam sententiam sint torquenda. Et hoc loco omnes Sacramentariorum opiniones eiusmodi, quarum aliqua inter se certā pugnāt (quorū aut quàm variæ illæ sint) reijcimus.

Quòd oralis sumtio corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna à Sacramentarijs negatur: eiq; opponitur, quòd corpus Christi in Cœna spiritualiter tantū, per fidem accipiatur: ita quidem, vt ore in sacra Cœna tantū panem & vinum edamus atq; bibamus.

Quòd docetur, panē & vinū in Cœna Domini nihil

IMI

III.

IV

I.

IV

III

II.

III.

IIII.

III

aliud esse, nisi notas quaedam professionis, quibus Christiani se invicem agnoscant. Vel, quod panis & vinum sint tantum figuræ, symbola, typi, ac similitudines longissimè absentis corporis Christi: ea quidem ratione, quod ut panis & vinum sunt cibus externus nostri corporis, ita absens corpus Christi, una cum ipse merito, sit animæ nostræ cibus spiritualis.

V.

Quod panis & vinum non sint nisi symbola aut signa memorialia absentis corporis Christi, quibus signis, tanquam externo pignore confirmemur, quod fides illa (quæ à Cœnâ se auertit, & supra omnes cælos ascendit,) sursum nõ minùs verè corporis & sanguinis Christi particeps fiat, quàm reuera in Cœna Domini ore externa symbola accipimus. Et, quod hoc modo fides nostra in sacra Cœna, tantummodo per externa symbola, non autem per verum, præsens, & nobis exhibitum, corpus & sanguinem Christi, obligetur & confirmetur.

VI.

Quod in Cœna Domini, FIDEI tantummodo virtus, operatio, & meritum longè absentis corporis Christi distribuuntur & communicentur: ut hac ratione ABSENTIS corporis Christi particeps fiamus. Et quod iuxta hunc modum, unio Sacramentalis sit intelligenda: videlicet, de analogia signi & signati: quatenus, nimirum, corpus & sanguis Christi, cum pane & vino aliquid similitudinis habent.

VII.

Quod corpus & sanguis Christi spiritualiter duntaxat, per fidem sumatur & participetur.

VIII.

II

Quod Christus propter ascensum suum in cælos, corpore suo, in certo quodam cæli loco ita sit comprehensus & circumscriptus, ut suo corpore nobiscum in sacra Cœna (quæ iuxta institutionem Christi in terris celebratur) verè & substantialiter præsens esse, neq; possit, neq; velit: sed potius tam longè à sacra Cœna absit, quantum altissimū cælum à terris distat. Sic

enim

quibus panis & similitudinem quidem externum cum ipso aut similibus quod fides cœlestis sanguis Cœna Domini hoc modo per se, & obmodum corporis ac rationis habemus, talis sit: quia panis & ter dum in celos, sic comestibilem Christi inens esse, a sacra sit. Sic enim

quidam Sacramentarij verba illa in actis Apotollicis (oportet Christum cœlum accipere) de industria malitiosè (ad confirmandum errorem suum) deprauant: & loco sinceræ translationis hæc verba reposuerunt: Oportet Christum cœlo CAPI: quæ verba significant, Christum ita in cœlum receptum, vt cœlo circumscribatur & comprehendatur: vt nobiscum in terris, humana sua natura nullo prorsus modo, præsens esse possit, aut velit.

Actor. 3.

Quod Christus veram substantialem præsentiam corporis & sanguinis sui in sacra sua Cœna neque promiserit, neque præstare possit aut velit: cum ipsius natura, & proprietates assumptæ suæ humanitatis id non admittant.

IX.

Quod non solum verbum, & sola Christi omnipotentia, sed fides corpus Christi in Cœna Domini præsens nobis sistat. Vnde quidam verba institutionis in actione Cœnæ Dominicæ non recitant, sed omittunt. Et si autem Papistica Consecratio (quæ pronuntiationi verborum, tanquam operi Sacerdotis, eam vim adscribit, quasi ea Sacramentum efficiat) non iniuria reprehendatur atq; reiicitur: tamen verba institutionis in actione Cœnæ Dominicæ nequaquam omitti possunt aut debent: id quod ex superiore declaratione manifestum est.

X.

Quod credentes iubentur corpus Christi non cum pane & vino Cœnæ (iuxta Christi institutionem) querere: sed à pane sacra Cœnæ, fide sua in cœlum, ad locum illum ablegantur, in quo Christus suo corpore sit: vt ibi eius fiant participes.

XI.

Reiicimus etiam hunc errorem: cum docetur, quod infideles & impœnitentes (qui titulo duntaxat Christiani sunt, reuera autem fidem viuam, veram & saluificam non habent) in Cœna Domini non corpus & sanguinem Christi, sed tantum panem & vinum accipiant. Et, cum non nisi duo genera conuiuarum in hoc cœle-

XII.

sti conuiuio reperiantur, digni, videlicet, & indigni: reijcimus etiam illud discrimen inter indignos, quod aliqui faciunt, qui asserunt, impios Epicuræos, impæctos, & verbi Dei contemptores (qui in externa Ecclesie communione sunt) non corpus & sanguinem Christi ad iudicium in vsu Cœnæ, sed tantummodò panem & vinum sumere.

XIII.

Et, cum docetur: dignitatem non tantum in vera fide, verum etiam in propria hominis preparatione consistere.

XIV.

Similiter, cum docetur, etiam verè credentes, qui viua & vera fide præditi sunt, eamq; retinent, si tamen ea preparatione propria & sufficiente careant, quam ipsi sibi proposuerunt, hoc sacramentum, tanquam indignos conuiuas, ad iudicium accipere.

XV.

Elementa illa, seu visibiles species benedicti panis & vini adorari oportere. Quòd autem Christus ipse, verus Deus & homo, (qui in Cœna sua, in legitimo nimirum eius vsu, verè & substantialiter præsens est) in spiritu & in veritate (quemadmodum etiam omnibus alijs locis, præcipuè verò, vbi Ecclesia ipsius est congregata) adorari debeat: id nemo, nisi Arianus hæreticus negauerit.

XVI.

Repudiamus præterea & damnamus omnes curiosas, sarcasmas tinctas & blasphemias quæstiones, atque huius generis sermones, qui crasse, carnaliter & Capernaiticè de supernaturalibus & cœlestibus Mysterijs Cœnæ Dominiæ proferuntur.

Reliquæ antitheses & reiectæ opiniones, quæ cum pia doctrina pugnant, in superiore declaratione reprehensæ atque repudiatæ sunt: eas (quia breuitati studemus) hoc loco repetere noluimus. Si quæ sunt autem, præter hæc, alia falsa & damnata dogmata, eorum diiudicatio ex præmissa copiosa explicatione pen, & (si opus sit) nominatim reprobari possunt. Nos enim

omnia

omnia, quæ supra commemorata & in verbo Dei bene fundata doctrinæ non consentiunt, sed repugnant, rejicimus atq; damnamus.

VIII.
DE PERSONA
CHRISTI.

QUARTA est etiam controuersia inter Augustanæ Confessionis Theologos, de persona Christi: quam tamen non ipsi inter se mouerunt, sed ei occasionem Sacramentarij' originaliter dederunt. Cùm enim D. Lutherus veram & substantialem corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna præsentiam contra Sacramentarios, è verbis institutionis Cœnæ firmissimis argumentis liquidò probasset atq; confirmasset: à Cinglianis illi obiectum est: Si corpus Christi simul in cœlo & in terris, in Cœna Domini, præsens sit: necessariò consequi, illud non esse verum & humanum corpus: talem enim Maiestatem soli Deo tribuendam, corpus verò Christi nequaquam illius capax esse.

Hanc obiectionem D. Lutherus refutauit, eamq; nihil ponderis habere, luculenter, in didacticis & polemicis suis scriptis, de Cœna Domini, quæ Sacramentarijs opposuit, demonstrauit: quæ nos non minùs, quam didactica huius viri scripta approbamus: idq; publicè testatum esse volumus. Interim, post mortem D. Lutheri, prodierunt quidam Theologi (Augustanam Confessionem profitentes) qui non quidem aperte & manifestè ad Sacramentarios, in negotio Cœnæ Dominicæ transferunt: sed tamen eadem fundamenta facta, de persona Christi, quibus Sacramentarij veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam è Cœna Domini tollere conati sunt: in

medium